

VNDECIMVS.

se multiplicato adde quadratum dupli eius quod per sinum centri mediij uenerat. Et collecti radix erit distantia centri epicycli à cetro mundi ad hoc centrum mediij, quam serua. Deinde duplum eius quod per sinum centri mediij uenerat, in sinum totum extende, productum uero per radicem seruata[m] partire. Exibit enim sinus æquationis centri, cuius arcus est ipsa æquatio centri. Quam, si libet, in tabula ex directo centri mediij collocabis. Ut eam quancumq[ue] opus fuerit, absq[ue] proluxa, qualis iam ostensa est operatione paratam habeas.

¶ Si uero centrum mediij plus quadrante fuerit, ipsum à semicirculo subtrahe, residuq[ue] sinum primum, ut breuius dicam sinum quoq[ue] secundum, siue sinum complementi eius elicias, quorum utrumq[ue] in eccentricitatē multiplica, & productorum utrumq[ue] per sinum totum diuide, quæ autem exhibunt custodi. Quadratum itaq[ue] eius quod per sinum primum exiuit, à quadrato semidiametri deme, & à radice quadrata residui id quod per sinum secundum exiuit subtrahe. Quodq[ue] remanserit, in se ductum, duplo eius quod per sinum primum uenerat in se multiplicato coniunge. Collecti namq[ue] radix erit distantia centri epicycli à centro mundi, quā serua. Deinde duplum eius q[ue] per sinum primum uenit, in sinum totum multiplica, & productum per radicem seruata[m] diuide. Exeuntis enim arcus erit ipsa centri æquatio quesita.

Quod si centrum mediij quarta circuli fuerit, eccentricitatis quadratum à quadrato semidiametri abijce. Relictum uero duplo eccentricitatis in se multiplicato adiunge, & collecti radix quadrata est linea, qua centrum epicycli à centro mundi distat, eam serua. Duplum deniq[ue] eccentricitatis in sinum totum extende, productum uero per radicem diuide seruata[m]. Nam sinus exeuntis arcus est æquatio centri quesita. Iam itaq[ue] patet inter omnes æquationes centri per semicirculum cognoscendi. Reliqui uero semicirculi equationes, quia inuētu similes, & in quantitate prioribus equales sunt, prætereo. Centro enim epicycli equaliter utrinq[ue] ab auge medio quidem itinere distante equales accidunt centri æquationes. Argumentorum deniq[ue] æquationes, ut cognite fiant, ordo poscit argumenti planetæ ueri, si quadrante minus fuerit, sinum primum hab eas, & secundum, & utrumq[ue] eorum in numerum semidiametri epicycli respectu semidiametri eccentrici superius elicatum multiplica, productorum quoq[ue] utrumq[ue] in sinum totum diuide, & quod per sinum secundum exiuit, distantia centri epicycli à centro mundi adijce, collectumq[ue] in se ductum, ei quod per sinum primum exiuit, in se multiplicato coniunge. Aggregati enim radix quadrata distantiam corporis planetæ à centro mundi numerabit, quam tene ad partem. Deinde id quod per sinum primum exiuit, in sinum totum extende, & productum per radicem partire seruata[m]. Exibit enim sinus, cuius arcus est æquatio argumenti quesita.

¶ Si uero argumentum æquatum plus quadrante fuerit, ipsum ex semicirculo abijce, & residui sinum primum, & secundum ex tabulis suis addisce. Vtrumq[ue] autem eorum in semidiametrum epicycli multiplica. Vtrumq[ue] etiam productum per sinum totum diuide, & quod per sinum secundum exiuerit, ex distantia centri epicycli à centro mundi minue, relictum uero in se ductum, ei quod per sinum primum exiuit, in se itidē multiplicato adijcias. Congregati enim radix quadrata distantia[m] corporis planetæ à centro mundi prædicabit, quam seruabis. Deinde quod per sinum primum exiuit in sinum totum multiplica, productum uero per radicem seruata[m] diuide, nā quod exhibit, est sinus rectus, cuius quidē arcus erit equatio argumenti cupita.

R Quod

